

liter propter Deum. Unde patet utrumque convenire in eo quod negent peccatum veniale esse fruitionem creaturæ aut ejus pro fine ultimo usurpationem; quamvis differant in hoc quod prior peccatum istud nolit dici fruitionem nec usum, sed abusum; posterior autem usum dici posse contendat.

Ad prob. R. S. Aug. loqui hic de bonitate meritoria et utili ad salutem; unde subjungit: *Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit*; et paulo ante præmiserat: *Quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere, scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia quæ datur per unum mediatorem Dei et hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternam Dei donum regnumque perducere.*

304. Obj. cont. 2^{um}. Relatio eleemosynæ in gloriam Dei, non est præceptum ipsius operis, sed tantum operantis; relatio ejusdem autem in gloriam vanam est finis prohibitus non solius operantis, sed ipsius operis; ergo.

R. Quod eleemosyna per se minus tendit in vanam, quam divinam gloriam; adeoque vana gloria multo minus est finis hujus operis ex se boni, quam sit gloria Dei; ergo si nihilominus in uno casu non solum operans sed et opus vitiat per excessum finis prohibiti, etiam in altero casu ipsum opus vitabitur per defectum finis præcepti.

Inst. 1. Eleemosyna, quando refertur in finem honestum, habet totum id quod requiritur ad actum intrinsece moraliter bonum, licet ulterius non referatur in gloriam Dei, quæ tantum est finis extrinsecus eleemosynæ; ergo.

R. Quod pariter eleemosyna ad finem honestum relata habeat omne quod ad actum intrinsece honestum requiritur, licet simul referatur ad finem vanæ gloriæ, qui finis magis extrinsecus est eleemosynæ quam gloria divina, utpote ad quam illa ex intrinseca sua honestate est referibilis.

Inst. 2. Vana gloria est causa eleemosynæ: omissio autem relationis in Deum non est illius causa; ergo.

R. Quod, juxta Adversarios, relatio in Deum sub obligatione peccati venialis debeat esse causa eleemosynæ, sicut vana gloria sub obligatione peccati debet non esse illius causa; cur ergo vitiatur eleemosyna ex fine prohibito, in quem refertur per excessum, et non vitiatur ex privatione finis præcepti, in quem per defectum non refertur? Quamvis autem non sit eleemosynæ præceptum, ut seipsam referat in Deum, sed operanti; neque eleemosynæ est prohibitum, ut seipsam referat ad finem vanæ gloriæ, sed tantum operanti, utpote qui solus subjectum legis esse potest. Præterea cum, juxta Adversarios, non referens actionem ad Deum sistat in creatura tanquam fine proximo, amor creaturæ erit etiam causa corrumpens ipsam actionem, sicut amor Dei est causa dignificans actionem ad Deum relata.

Inst. 3. Quod mancipium pingat imaginem elegantem, eamque domino in scio et invito vendat, peccat quidem: sed pictura ipsa non vitiat; ergo similiter si quis eleemosynam faciat, eamque non referat in Deum, eleemosyna in se manebit bona, quamvis homo illam in Deum non referendo peccet.

R. Si mancipio præcipiatur sub peccato ut actum pingendi in utilitatem

domini referat, actus pingendi est peccaminosus, non per seipsum, sed quatenus non refertur in finem sub peccato præceptum: si vero id mancipio non præcipiatur, exemplum ad rem non spectat, cum mancipium etiam tunc non peccet pingendo aut picturam vendendo in scio domino. Adhæc apertum est discrimen, pictura ab arte naturam imitante, honestas ab objecto, circumstantiis, ac fine regulis morum conformi, desumenda est.

ARTICULUS III.

AN ACTUS HUMANUS UT SIT MERITORIUS, DEBEAT ESSE VEL ELICITUS VEL IMPERATUS A CHARITATE?

305. Nota. Damnata sunt propp. 55. et 56. Quesnelli enuntiantis, *Deum non coronare nec remunerari nisi charitatem*. Convenit autem inter plerisque Catholicos 1^o. quod actus etiam infidelium naturaliter tantum honesti sæpius in hac vita obtineant a Deo retributionem temporalem: 2^o. quod actus quicumque peccatorum supernaturales etiam ante justificationem elicit de congruo mereantur gratiam: 3^o. quod actus justorum ex virtutibus sive infusis, sive acquisitis, et gratiæ auxilio profecti, licet a charitate nec elicit nec imperati, de condigno mereantur gloriam saltem accidentalem ac etiam aureolas. Dissentiunt tamen circa meritum condignum gloriæ essentialis ac præmii substantialis; quia alii hoc tribuunt aut solis actibus a charitate elicitis, aut actibus quidem aliarum virtutum, sed saltem a charitate imperatis: alii vero ad ejusmodi meritum nec physicum charitatis influxum nec imperium aut motivum exigunt.

306. Dico I. Ut actus supernaturalis hominis justus sit condigne meritorius præmii substantialis gloriæ, non requiritur ut sit a charitate elicitus.

Prob. I. Ex SCRIPTURA, quæ non solum actibus a charitate elicitis, sed aliarum virtutum actibus proponit, promittit et designat præmium, quo substantia et essentia gloriæ intelligitur; ad Hebr. 13. 16. *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus*. Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me etc.* Matth. 19. 16. interroganti: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Christus respondet: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; et mox subjungendo enumerat mandata moralia. 1. ad Tim. 6. 17. *Divitibus hujus seculi præcipe..... bene agere; divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam*. Sed hic referuntur actus aliarum virtutum, et designatur, proponitur ac promittitur præmium, quo substantia et essentia gloriæ intelligitur; ut patet ex similibus Scripturæ locis: Gen. 15. ubi v. 1. dicit Deus: *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis*; Joan. 3. 3. ubi Christus ait: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei....., Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; aliisque innumeris V. et N. T. textibus vel vitam simpliciter vel cum addito æternam pro gloria essentiali usurpantibus.

Conf. Deus Ps. 61. 13., Eccli. 16. 13., Matth. 16. 27., ad Rom. 2. 6., 1. ad Cor. 3. 8. dicitur *judicaturus, redditurus, et daturus mercedem propriam secundum laborem et opera hominum*, nempe bonum bonis, malum malis: sed merces quæ redditur malis, est substantialis; ergo et quæ reddenda dicitur operibus bonis quibuscumque, erit substantialis.

Prob. II. EX TRADITIONE. SS. PATRES ad sermonem Christi de *Beatitudinibus* communius virtutum illarum exercitio tribuunt substantiale meritum: AUG. Tr. 51. in Joan. n. 12. et BERN. L. de Gr. et lib. Arb. extollunt singulariter meritum ministerii, quod exhibetur Christo in proximorum obsequiis: HIER. aliique Patres contra Jovinianum docent, pro meritorum multitudine majus præmium essenziale retribuui; ergo.

Conf. EX TRID. Sess. 6. cap. 16. et can. 32.; ubi non de solis charitatis actibus, sed et de aliarum virtutum operationibus sermo est; tum quia generatim ac indefinite de bonis operibus ubique loquitur, ac præterea cod. cap. laudat textum Apost. ad Cor. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino*, et illum 2. ad Tim. 4., ubi *ob fidem servatam et cursum consummatum reddenda dicitur corona justitiæ*: tum quia de operibus bonis loquitur, quibus *divinæ legi pro hujus vite statu satisfacimus*, quos inter non solus charitatis actus, sed alii etiam virtutum aliarum actus a præceptis divinis imperati necessario venire debent. Deinde vero agi de præmio *essentially* constat ex terminis *gratiæ filii promissæ, mercedis ex Dei promissione meritis reddendæ, coronæ justitiæ, vitæ æternæ et gloriæ augmenti*; ergo.

Prob. III. EX RATIONE. Hæc conditio, quod actus necessario sit eliciendus a charitate ut sit condigne meritorius beatitudinis *essentially*, nec probatur ex aliqua lege Dei, cum talis nullibi reperiat, imo contraria in Scripturis allegatis habeatur: nec ex *natura rei*, cum omnes aliarum virtutum operationes supponantur habere reliquas ad meritum hoc necessarias conditiones: præterea vero earum aliquæ, ut fides et spes, immediate attingunt Deum; aliæ, ut religio et obedientia, habent Deum saltem pro objecto cui; reliquæ vero, quamvis Deum neutro modo attingant, cedunt tamen in gloriam Dei, et sunt media ultimo fini consequendo proportionata.

Conf. Si soli charitatis actus essent meritorii gloriæ substantialis; ergo actus aliarum virtutum, etiam perfectiores aut intensiores, *per se loquendo*, nihil conferrent ad majus meritum vitæ æternæ præ minus perfectis et intensis; cum hi omnes fieri possint ex æquali amore Dei; item conducen-
tius ad salutem foret contemplando diligere Deum, quam munus suum implere evangelizando et pro salute proximorum laborando: sed hoc nimium averteret voluntates fidelium ab usu et exercitio honorum operum, repugnatque sensui Patrum ac Ecclesiæ; ergo.

307. *Dico II.* Neque requiritur ut ejusmodi actus sit a charitate *imperatus*, seu actuali aut virtuali relatione ad Deum propter se dilectum directus.

Prob. Iisdem argumentis, nam sicut ex SCRIPTURA ostenditur non requiri ad meritum condignum gloriæ essentialis actum a charitate *elicatum*, eo quod hoc meritum ab ea asseratur actibus aliarum virtutum; sic et evincitur, nec actum a charitate *imperatum* requiri; cum imperium charitatis non intelligatur in actibus virtutum simpliciter appellatis, neque ad illorum sub-

stantiam vel essentielle complementum exigatur. Deinde TRID. locis cit. nec minimam imperii aut motivi charitatis mentionem facit; et aperte declarat, *operibus bonis nihil amplius deesse ad verum meritum vitæ æternæ*, si fiant a *membro vivo Jesu Christi*, h. e. ab homine justo et in gratia sanctificante constituto, et *per virtutem et gratiam Dei antecedentem ac comitantem*. h. e. ex gratiæ actualis auxilio et influxu. Demum quia neque ex natura rei neque ex aliqua Dei lege ad meritum requiritur etiam charitatis duntaxat imperium; et rursus ex hoc priora absurda sequerentur.

Conf. 1. Charitatis imperium non est necessarium ad meritum condignum essentialis gloriæ; vel enim illa necessitas fundatur in eo quod tale meritum debeat esse proportionatum præmio; vel in eo quod debeat esse factum in Deo; vel in eo quod debeat esse factum in obsequium Dei: sed nullum ex his asseri potest. Non 1^{um}.; tum quia *proportio* hæc, ex dictis de Merito, potissimum repetitur ex gratia sanctificante, qua informari virtutum aliarum actus hic supponitur: tum quia sicut ad meritum non requiritur summa actus perfectio, sic nec maxima proportio; aliqua autem et satis congrua proportio inter supernaturales virtutum moralium actus et beatitudinem supernaturalem est admittenda, sicut similes actus naturales dicendi forent satis proportionati ad beatitudinem naturalem, si homo conderetur in statu naturæ puræ: tum quia saltem in actibus *fidei et spei* habetur illa proportio; cum fidei visio, spei fruitio beatifica correspondeat. Non 2^{um}. quia satis *in Deo* fieri dicendum est, quod in gratia fit, ad quod Deus specialiter movet et adjuvat, quod natura sua in Deum ordinatur ac tendit. Non 3^{um}. tum quia rationem *obsequii* sufficientem generatim omnia bona opera sortiuntur a conformitate intellectus et voluntatis agentis cum prima veritate et lege æterna, et operum aptitudine ac usu ad laudem et gloriam Dei: tum quia captivatio intellectus in obsequium Christi et obedientia speciatim etiam rationem formalem obsequii contineant.

Conf. 2. Modus operandi per *imperium et relationem charitatis* etiam tantum virtualem est valde perfectus, nec communis justorum sed satis rarus, saltem in exercitio virtutum frequenti; ergo cum Deus non solum perfectis et perfecte operantibus, sed omnibus mandata servantibus promiserit vitam æternam, hic modus non videtur ad meritum requisitus; præsertim quia etiam ex praxi fidelium sua bona opera ex aliis motivis referentium est minus cognitius, nec sufficienter promulgatus.

308. *Obj. cont. 1^{um}.* In Scriptura 1^o. soli charitati promittitur et proponitur merces, 1. ad Cor. 2. 9.: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*; et Jac. 1. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se*. 2^o. Ratio meriti in virtutibus tribuitur charitati; ad Gal. 5. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur*; ubi vox *ἐνεργουμένη* commodius passive accipitur, et intelligitur *fides per charitatem facta*, vel saltem *imperata*; et ad Rom. 5. 5. *Spes non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* etc. 3^o. Virtutibus sine charitate meritum negatur; 1. ad Cor. 13. 3. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum; et si distribuero in*

cibus pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest; ergo.

R. *Quoad 1^{um}. N. Ass.* Uterque textus asserit quidem diligentibus promissam beatitudinem, neuter vero excludit promissionem aliis etiam esse factam; quin et posterior implicite hoc negat, cum idem primum *patientiae* designet, quod est charitati promissum. Ratio cur promissio beatitudinis sepius et communius charitati sit facta, habetur tum ex eo quod sine charitate saltem habituali non habetur meritum condignum: tum quia virtutum actus sunt materia imperantis et exercentis se charitatis: tum quia charitas est perfectior aliis virtutibus; et hinc ad eam primario, ad alias virtutes secundario pertinet substantiale meritum.

Quoad 2^{um}. D. Ass. Ratio meriti in virtutibus tribuitur charitati habituali, prout scilicet haec est ipsa gratia seu cum hac inseparabiliter conjuncta C. charitati actuali N. Oppositio, in priori textu facta, plus non requirit quam fidem charitatis habitu seu gratia formatam, quo sensus graeci verbi passivus melius exprimitur; et non otiosam ac inanem, sed activam et operativam virtutum honorumque operum: in posteriori indicari habitum charitatis alibi jam indicatum est.

Quoad 3^{um}. D. Virtutibus sine charitate negatur meritum, *et sine* sumendo contrarie C. sumendo mere negative *subd.* sine charitate habituali C. actuali N. Paulum hic agere de charitate fraterna, nullumque virtutis meritum condignum illis concedere qui proximum odio habeant, probabile fit ex eo quod ibidem redarguat Corinthios factionibus et dissensionibus inter se divisos. Si vero accipiatur textus de charitate, de habitu charitatis et statu gratiae eum intelligere oportet; tum quia eadem est acceptio charitatis in versu ult. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria haec:* tum quia charitas habitualis seu potius gratia sanctificans facit ut homo aliquid sit, et ei prosit ad vitam aeternam. *Nec obstat,* quod statim subjungatur: *Charitas patiens est, benigna est etc.*; quia haec praedicata radicaliter et principiatively obtinet charitas habitualis.

Inst. 1. S. Aug. dicit L. 15. de Trinit. c. 48., Charitatem solam esse illud donum, quod dividit inter filios regni aeterni, et filios perditionis aeternae; ergo et solam agnoscit in ea meriti rationem: solam charitatem appellat justitiam; adeoque et solam meritoriam praemii justitiae respondentis; L. de Nat. et Gr. c. 90. Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas profecta, profecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; sed charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta: charitatem ad meritum condignum aperte exigit, L. 4. cont. Jul. c. 3. n. 33. Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit; ergo.

R. *Quoad 1^{um}.* Rursus explico de charitate habituali; quia hic Aug. de dono *permanenter* distinctivo inter filios regni aeterni et perditionis loquitur, ubi et pleraque hactenus a Scripturis deprompta et exposita adducit.

Quoad 2^{um}. N. Ass. Cum omnis quidem charitas sit justitia, non vero vicissim.

Quoad 3^{um}. N. Ass. Nec id probat textus allatus, qui non loquitur de charitate strictae sumpta, sed de amore *quocumque* supernaturali a Dei gratia profecto, vel de amore ad Deum tanquam finem honestatis quacumque ratione directo; hoc enim sufficiebat ad controversiam cum Juliano hic agita-

tam; unde et praemiserat: *Scito... nos dicere... illud opus bonum sine Dei gratia... nemini posse conferri; per quod solum homo potest ad aeternum Dei donum regnumque perducere; et subjecerat: Hoc amore opus est, ut pudicitia sit conjugalis, ut sit ejus intentio quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, sed in voluntate propaginis.* Vid. sup.

Inst. 2. In omnibus hujus vitae operibus etiam bonis invenitur imperfectio et inaequalitas ad praemium beatitudinis; ergo haec videtur statuenda proportio, ut perfectissimo vitae actui, scilicet charitati, respondeat praemium optimum, scilicet essentiale; inferioribus actibus *praemium accidentale*. Deum amor in via est quasi substantialis vita animae et regina; reliquae virtutes sunt quasi accidentia et familia; ergo et amor in patria respondebit substantia praemii seu fruitio, in qua amor includitur, virtutibus autem reliquis *gloria accidentalis*: praesertim cum idem praemium dare reginae et ancillis non videatur aequum. Demum augmentum praemii essentialis correspondet gratiae augmento, seu charitatis: sed charitas non augetur, nisi actibus propriis; ergo etiam praemium essentialis non respondet nisi actibus charitatis.

R. *Quoad 1^{um}. T. A.* Quod valet tantum de imperfectione negativa vel comparativa, non autem de privativa vel positiva: *N. Cons.* Quia pro ista aequalitate perfectionis inter meritum et praemium statuenda fundamentum ex dictis est nullum.

Quoad 2^{um}. T. A. N. Cons. Imprimis enim proprie loquendo omnes virtutes operativae, etiam charitas in via, comparantur ad gratiam sanctificantem tanquam accidentia intrinseca et proprietates ad essentiam; adeoque omnes habent cum gratia proportionem, ut illae ad consequendam gloriam deserviant: deinde *fruitio*, ex dictis, potius respondet spei, quam charitati: denique quamvis in politicis forma dignificans ad praemium non sit in ancillis, quae est in regina; tamen eadem, nempe gratia sanctificans, in aliis virtutibus aequae est ac in charitate.

Quoad 3^{um}. N. supp. M. et min. Nec enim gratia sanctificans realiter est identificata habituali charitati, nec gratia aut virtutes supernaturales augentur per actus causalitate physica, sed morali et meritoria.

309. *Obj. cont. 2^{um}.* Scriptura ad meritum condignum beatitudinis substantialis requirit saltem charitatis imperium. Nam 1^o. exigit ad meritum, ut fiat in nomine Dei aut Christi, Matth. 19. 29. *Qui reliquerit domum, aut fratres aut sorores etc. propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit;* Luc. 9. 48. *Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit:* sed opus non fit in nomine Dei vel Christi, nisi per charitatem; cum per hanc solam tendamus in Deum; ergo. 2^o. Distinguit inter meritum factum in nomine Christi vel Prophetae aut justii, Matth. 10. 40. *Qui recipit vos, me recipit: et qui me recipit, recipit eum qui me misit: qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet: et qui recipit justum in nomine justii, mercedem justii accipiet: et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam:* atqui haec distinctio stat in eo quod opus factum in nomine Christi seu ex charitate sit meritorium praemii essentialis, factum in nomine alio sit praemii tantum accidentalis; ergo.

R. N. Ass. Ad prob. 1^{am}. R. T. M. Quia textus allati sunt simpliciter affirmativi, non autem exclusivi; cum relinquentibus omnia propter nomen Christi, et opera misericordiae in Christi nomine exercentibus vitam aeternam promittant, non tamen negent aliis ex alio fine ista facientibus. N. min. tum quia praeter charitatem dantur virtutes, quae Deum habeant pro objecto quod vel cui, ut dictum supra; ac proinde propter Deum, et Dei nomen agunt: tum quia ad agendum nomine Christi sufficit agere bonum ex fine bono, ut indicat Aug. Tr. 31. in Joan. n. 12. *Debet, si porrigit esurienti panem, de misericordia facere, non de jactantia; non aliud ibi quaerere quam opus bonum,.... qui sic ministrat, Christo ministrat, recteque illi dicitur: Cum uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti*: tum quia sicut operatio miraculorum in nomine Christi designat virtutem operandi natura superiorem, sic operatio virtutum in eodem nomine praecise significat finem actionum supernaturalem.

Ad prob. 2^{am}. N. min. Vel enim distinctio fit inter ordinem meriti et praemii, ita ut opus misericordiae factum homini, quia homo est, sit meriti duntaxat et praemii naturalis, et factum homini, quia justus, civis sanctorum, et domesticus Dei est, sit meriti et praemii supernaturalis: vel inter gradus et quantitatem meriti ac praemii; ita ut majus praemium merito majori, minus merito minori respondeat, servata utrinque substantia et ordine.

Inst. 1. Trid. Sess. 6. cap. 13. requirit ad meritum condignum, ut opus fiat in Deo; veritas autem aliunde constans exigit, ut hoc meritum fundetur in amicitia supernaturali Deum inter et hominem: sed ne dicantur verba illa Tridentini esse superflua, debent significare charitatis imperium vel relationem ad Deum; cum jam aucta expresserit meritum esse faciendum in gratia et ex gratia: et opera moralia non possunt dici actus illius amicitiae, nisi ab ipso amore supernaturali aliquo modo procedant; ergo.

R. N. min. Quoad 1^{am}. Haec duo, *feri in Deo et feri in gratia ac ex gratia*, aequivalere patet, ex eo quod can. 26. nulla gratiae mentione facta dicatur: *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus quae in Deo fuerint facta, exspectare et sperare aeternam retributionem..... anathema sit*: qui canon cum respondeat cap. 16^o. horum verborum compendio exprimit, quod, phrasi magis diducta, illo in cap. propositum fuerat. Quominus vero *superflua* dici possit repetitio esse facta, siquidem haec duo aequivaleant, desumitur ex ratione satis manifesta et necessario repetitionem illam exigente. Cum enim Theologi non pauci tenerent omnem prorsus actionem etiam naturalem justis esse meritoriam, hoc ipso quod a justo eliciatur; ne Concilium aut hanc sententiam videretur approbare, aut huic controversiae se immisceret, declarat tantum quod certum erat, restringitque suam assertionem ad opera ex gratia facta, dicendo justificatis nihil amplius deesse, quominus *illis quidem operibus*, quae in Deo sunt facta, divinae legi plene satisfecisse et aeternam vitam vere promeruisse censeantur.

Quoad 2^{am}. Quamvis illa opera a proprio et elicto amoris actu non impentur; ratione motivi tamen supernaturalis, et vi modi quo fiunt illa, nempe in gratia et ex gratia, sunt opera amicitiae in actu exercito; sicut qui inter homines confert beneficium amici filio, solum quia ejus filius est, verum amicitiae opus exercet, licet tunc non eliciat internum amoris actum circa

amicum, nec talis amoris actus praecesserit aut ad beneficium conferendum moverit.

Inst. 2. S. Aug. L. 1. de mor. Eccles. c. 13. affirmat omnem virtutem, qua vitam aeternam meremur, esse charitatem: *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur, etc.* Sed hoc S. Doctor non asserit, quasi unicuique virtutum objectum esse, nempe objectum formale charitatis, existimaret; cum cap. sequente proprium cui-libet motivum assignet: sed quia censuit actus aliarum virtutum, motivum proprium et intrinsecum habentium, non esse aeternae gloriae meritorios, sine motivo extrinseco seu imperio charitatis; ergo.

R. 1^o. Si verba Aug. in sensu obvio et rigoroso accipere oporteat, inde profluent sequelae intolerabiles Catholicis, quibuscum nobis controversiam hic unice intercedere contestabamur. Sequitur enim *primo*, virtutem omnem meritoriam non tantum imperari, sed necessario elici a charitate etiam perfecta et intensa, ut ipsa verba textus allati ostendunt: *secundo*, virtutem omnem non solum in ratione meriti, sed et in ratione virtutis exigere charitatis effectum; cum etiam ep. 29. (al. 167. n. 13.) dicat: *Ut generaliter breviterque complectar, quam de virtute habeam notionem, virtus est charitas, qua id quod diligendum est, diligitur*; quibus verbis postremis similia cum retulisset, ep. 52. (al. 103. n. 13.) ita subjungit: *Quid autem eligamus quod praecipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? hoc est Deus.* Sequitur *tertio* etiam prudentiam esse amorem et voluntatis actum, cum tamen S. Doctor eam L. 1. de lib. Arb. c. 13. n. 27. *scientiam*, L. de mor. Eccl. c. 24. n. 45. *dignoscantiam*, L. 6. Music. c. 13. n. 37. *intelligentiam* appellet, et practicam notitiam actionum prosequendarum et fugiendarum esse certo constet. Quare, si etiam ab Adversariis mitiori et latiori sensu testimonium sit accipiendum.

R. 2^o. D. M. Aug. affirmat omnem virtutem formaliter acceptam esse charitatem N. materialiter acceptam, *subd.* esse charitatem h. e. posse tam elici quam imperari a charitate C. re ipsa et actu semper elici aut imperari a charitate N. Virtus materialiter accepta est ipsum virtutis officium et actus externus: formaliter accepta est officium virtutis ad suum finem proprium et peculiarem honestatem relatum, et eatenus etiam actus internus: *primo* modo accepta potest etiam elici a charitate; *secundo* modo accepta imperari tantum potest. Quamvis autem inde sequatur, virtutem formaliter acceptam etiam cadere sub imperium charitatis, negavimus tamen eam esse charitatem; tum quia charitas simpliciter pronuntiata actum elicitum, non vero tantum imperatum, designat: tum quia Aug. hic loci de virtute primo modo accepta aperte loquitur, quando etiam prudentiam dicit *amorem Dei, id est, summi boni, summae sapientiae, summaeque concordiae.*

310. *Observa.* Quamvis nonnulli sint, qui, quod D. THOMAS aperte nobis contrarium putent, eundem facile omitti posse censeant, propterea quod nec ejus auctoritas contra Tridentinum quid valeat, nec ejus venerationi

quidpiam decedat, quod ille ante hujus Concilii definitionem aliter senserit : nihilominus aliorum agendi ratio, tanquam honestior, videtur præhabenda, qui benigna explicatione conciliare D. Th. cum Concilio laborant.

Dum itaque 1^o. S. Doctor 1. 2. q. 114. a. 4. in 0. dicit, *meritum æternæ vitæ primo pertinere ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur*; juxta illos non facit sensum absolute exclusivum, quasi meritum nunquam aut nullo modo pertineat ad actus virtutum aliarum, nisi quando et in quantum a charitate imperatur; sed exclusivum secundum quid et pro aliquo casu, ita ut, quando actus virtutum imperantur a charitate, vitæ æternæ meritum ad eos ut imperatos non pertineat primo et per se, sed solum secundario. Atque hujus dicti ratio ex S. THOMÆ principiis illa est; quod actus ut imperatus non habeat meritum distinctum ab actu imperante, sed unum idemque meritum cum illo constituat, ita tamen ut ratio meriti primario et intrinsece actui imperanti, secundario autem et denominative actui imperato obveniat : cum quo nihilominus cohæret, quod actus virtutum non imperati a charitate, aut imperati quidem sed specificative sumpti, per se ac ratione sui contineant meritum vitæ æternæ.

2^o. Dum de Verit. q. 26. a. 6. ad 8. docet, quantitatem meriti pensandam partim ex radice operis seu charitate, partim ex genere operis seu actu virtutis, ac præterea quantitatem meriti ex radice respondere præmium essentiale, quantitatem meriti ex genere respondere accidentale præmium; imprimis per meritum ex radice operis non intelligit actum charitatis vel a charitate imperatum, sed quodlibet opus bonum hominis justis, ut est gratia et charitate habituali informatum seu dignificatum; neque per meritum ex genere operis intelligit quodcumque opus bonum in gratia factum et a charitatis actu distinctum; sed opus ejusmodi, quod propter specialem arduitatem meretur singularem honoris prærogativam seu aureolam. Unde deinceps, dum dicit, quantitatem meriti ex radice respondere quantitatem præmii essentialis, sensus non est, quod solus charitatis actus essentiale præmium mereatur; sed quod quantitatem gratiæ sanctificantis velut radice primæ per modum nature, et quantitatem habitualis charitatis tanquam radice proximæ per modum proprietatis præcipuæ, commensuretur quantitas præmii essentialis : similiter ubi dicit quantitatem meriti ex genere operis respondere quantitatem præmii accidentalis, sensus non est, quod opus bonum a charitatis actu distinctum mereatur solum præmium accidentale; sed quod quantitas præmii accidentalis, certis quibusdam operibus ob specialem arduitatem vel nobilitatem debiti, commensuretur eorum operum quantitatem; ut in Doctoribus, Virginibus et Martyribus patet.

3^o. Dum q. 6. de Potent. a. 9. dicit, *omnes virtutes habere merendi efficaciam a charitate*, quod idem aliis verbis q. 2. de Verit. a. 2. ad 9., et in 3. dist. 30. a. 5. ad 1. alibi repetit, aut dum 1. 2. q. 63. a. 2. in 0. omnes virtutes infusas conjunctas cum charitate statuit; charitatem duntaxat habituales intelligit, quæ vel ipsa gratia sanctificans vel ejus primaria proprietates est, unde dignitas operis ad præmium essentiale habetur : minime vero actum charitatis aut imperium designat.

Alia, quæ a nonnullis coacervantur, testimonia vel ad unam ex tribus memoratis textuum classem pertinent, atque hinc eandem explicationem patiuntur : vel spectant ad excellentiam charitatis ex præmii ubertate commendandam, quam adeo non negamus, ut potius illam D. PAULI 1. ad Cor. 12. adhortationem coronidis loco addamus : *Æmulamini charismata meliora.*